

Ad familiares 12,3

(Anfang Oktober 44. v. Chr.)

CICERO CASSIO¹ S.

1. Auget tuus amicus² furorem in dies. primum in statua³ quam posuit in rostris inscripsit ‚parenti optime merito‘, ut non modo sicarii sed iam etiam parricidae iudicemini. quid dico ‚iudicemini‘? iudicemur potius. vestri enim pulcherrimi facti ille furiosus me principem dicit fuisse. utinam quidem fuisset! molestus nobis non esset⁴. sed hoc vestrum est; quod quoniam praeteriit⁵, utinam haberem quid vobis darem consili! sed ne mihi quidem ipsi reperio quid faciendum sit. quid enim est quod contra vim sine vi fieri possit? 2. Consilium omne autem hoc est illorum ut mortem Caesaris persequantur. itaque a. d. VI Non. Oct. productus in contionem a Cannutio⁶ turpissime ille quidem discessit, sed tamen ea dixit de conservatoribus patriae quae dici deberent de proditoribus; de me quidem non dubitanter quin omnia de meo consilio et vos fecissetis et Cannutius faceret. cetera cuius modi sint ex hoc iudica quod legato tuo viaticum⁷ eripuerunt. quid eos interpretari putas ‚cum hoc faciunt? ad hostem scilicet portari. O rem miseram! dominum ferre non potuimus, conservo servimus. et tamen me quidem favente magis quam sperante etiam nunc residet spes in virtute tua. sed ubi sunt copiae? de reliquo malo te ipsum tecum loqui quam nostra dicta cognoscere. Vale.

Anmerkungen

- 1 C. Cassius Longinus, der Caesarmörder.
- 2 tuus amicus] Gemeint ist Antonius, bei dem Cassius nach der Ermordung Caesars am 15. März gespeist haben soll. Ironisch. – Antonius, 44 Consul mit Caesar, der zukünftige Triumvir (Triumvirat ‚rei publicae constituendae‘ [„zur Wiederherstellung der staatlichen Ordnung“] mit Octavian und Lepidus, Ende Nov. 43 geschlossen). Nach Caesars Ermordung war Antonius der Mann der Stunde, hinter den sich alle (Cäsarianer, Veteranen ...) versammelten, die verhindern wollten, dass Caesars Maßnahmen mit ihm untergingen. Von Cicero 44/43 erbittert bekämpft in den Philippischen Reden; die erste hatte er einen Monat zuvor, am 2. September, gehalten.
- 3 statua] Nämlich ein Standbild Caesars. Ihm hatte der Senat den Titel ‚*parens patriae*‘ verliehen.
- 4 Subjekt: Antonius.
- 5 Als Subjekt erg. etwa *opportunitas*.
- 6 Cannutio] T. Cannutius, Volkstribun des Jahres; erbitterter Gegner des Antonius. — ille] Antonius.
- 7 legato tuo viaticum] Gesandten im öffentlichen Auftrag wurden gleichsam die Reisekosten erstattet. Cassius war zu diesem Zeitpunkt Statthalter in Syrien.